

species æquales adsumunt in computatione motuum, tum verò maxime dies, vulgo naturales. Græcis *υψημερος* adpellatos, qui tamen reuera haud quaquam æquales deprehenduntur, & si hæc inæqualitas seu differentia nec ita magna est, nec subito sentitur, nisi collatis duobus inter se diebus non proximis, sed satis longo inuicem interuallo distantibus. Diem enim naturalem æqualem, & aptum numerandis motibus definiunt spacium temporis, quo fit integra cœli vel Æquinoctialis circuli conuersio, ac præterea particulæ æqualis ei, quam Sol in zodiaco à medio æquinoctio æqualiter interea conficit. At verus siue adparens dies naturalis similiter spacium temporis est, quo fit integra æquinoctialis conuersio, ac præterea particulæ eiusdem Æquinoctialis, quæ vero motui Solis in zodiaco ab apparenti æquinoctio respondet. Cum autem in toto ambitu Æquinoctialis tempora numerentur 360. motus autem Solis diurnus æqualis à medio æquinoctio sit scrupulorum, $914,824,2034$, manifestum est, diem naturalem seu Astronomicum æqualem perpetuò constare temporibus 360. $5914,824,2034$: sed verus dies naturalis alias superat hunc medium. alias minor est, propter duas causas, partim quòd motus Solis verus, quamquam parum, tamen in singulos dies variatur bis tantum in anno cum æquali motu congruens. partim quòd segmentis zodiaci etiam æqualibus non tamen æqualia respondent Æquinoctialis circuli segmenta in mundi conuersione. Porro cum ascensionum ratio in Horizonte multipliciter variet pro spheræ obliquitate, in meridiano autem sit eadem ubiq; locorum, quæ in spherâ recta, placuit, Astronomis initium diei sumere à Meridiano potius, quàm ab Horizonte, vt omnibus in circulo non locis vno eodemq; modo apparens tempus in æqualitatem commutaretur. Cæterum hac nostra ætate maxima differentia inter æquales & aparentes dies contracta est in tempora 7. cum 3. quintis vnus, quæ Maxima sanè aliquando supra decem tempora sese potest extendere. Iam ex his differentia omnibus sequitur, cum ad præscriptam aliquam veri dici naturalis inter adparentes dies horam stellarum in cœlo loca inuestiganda sunt, non simpliciter vtendum esse illa hora, sed eam Astronomicæ æqualitati prius conformandam, vt ad talem inquisitionem sit idonea.

Triplicem igitur modum docebitur commutandi adparens tempus in æquale, primum vniuersalem, atq; omnium rectissimum ipsis vtitur artificibus, Ptolemæo, Copernico, & alijs, qui hos sequuntur. Inde subiiciemus alios duos modos, quos non iniuria dixeris particulares, quia singulis ætatibus novos desiderant canones repudiatis prioribus.

Pr im